Vindiciæ Anglicanæ

QUATUOR

VOCALIUM LATINARUM

a, e, i, & u,

PRONUNCIATIONIS,

Ex intimâ antiquitate erutæ;

Eandem esse

Cùm veterem, tum genuinam

CONFIRMANTES,

In Epistolâ Amico conscriptæ.

A JONATHANE BANKS, Scholæ publicæ *Aballabensis*, in Agro *Westmariensi*, Magistro.

A multis retro seculis obsordulrunt aures nostræ ad genuinam pronunciationem. Gerard. Vossius in Etymolog. *Lat.*

Latinis I longum sonabat, ut EI. Id. de Arte Grammaticâ, *l.* 1. *c.* 13.

At novitiis nostris, per quot annos sermo Latinus repugnat. Quintilian. Institut. Orat. *lib.* 1. *cap.* 12.

Fungar vice cotis. Horat. de Arte Poeticâ, ℣. 304.

LONDINI:

Impensis R. Sare juxta Portam Australem Hos[illegible]

VINDICIÆ

Anglicanæ Pronunciationis

Vocalium Latinarum,

a, e, i, & u, &c.

UUM non ita pridem, Amice mihi commemorande, tuorum videndi gratiâ, te in hanc regionem contuleris; confabulatio noſtra, neſcio, quo pacto, in prolationem quatuor Vocalium *Latinarum*, in *Anglia* (& præſertim ejuſdem parte Septentrionali) incidit: quâ nos ab Exteris omnibus immane quantum diſcrepare, & inde, hâc in re, ſingularitatis cenſurâ

notatos fuisse affirmâsti. Cui (si bene memini) responsum è contrario dedi, nos solos illarum Vocalium legitimum & antiquum, & præcipue *(i)* sonum retinuisse & conservâsse. Quod à doctiori, qui temporis ad rem deliberandam satis adhibet, dilucidè comprobari posse, nullus dubito. Utcunque, ut fidem, quam tum temporis dedi, quantum potero, jam liberare æquum duxi.

I. Ut quæstionis statum, quasi ob oculos ponam, si *(a)* pronuncietur, sicut *(aa)* ut Exteri solent, si *(e)* ut *æ*, si *(i)* ut *(oe* vel *ee)* & *(u)* ut *(uu* vel *ou)* quid opus erit diphthongo *au*, vel *æ*, vel *œ*, vel *ei*, vel *ou*? Quas diphthongos omnes in usu *Romæ*, fuisse, *Augusto* imperante, *Virgilium*, non uno loco, testem habemus locupletem. Scilicet æ, *Eclog.* 4, ℣. 1, 3, 16; *au Eclog.* 1. ℣. 57, 58, 63; *œ*, *Eclog.* 1. ℣. 6, 17; *ei Eclog.* 1. ℣. 73. *Æn.* 2. ℣. 274; *ou*, *Eclog.* 2. ℣. 58. *Eclog.* 3. ℣. 100, qui versus aliter haud integri essent. Et si hæ literæ sic proferendæ sunt, tunc ne unquam eas breviare

viare licebit; quas tamen ſæpenumero apud Poetas *Latinos* correptas legimus—De quo fuſiùs infrà tradetur.

II. Si hæ vocales tam plenâ voce efferebantur apud Veteres quàm Coævi noſtri ſolent, tum non modò naturâ longæ eſſent, ſono iſto eaſdem continuò producenti; verùm etiam, quorſum illas geminabant, quando ſyllabam rederent longam? Quod ſanè præſtiterunt antiqui, ſi qua *Fabio Quintiliano* (qui circa annum 90 poſt beatæ Virginis partum, floruit) eſt adhibenda fides. Ad *Accium*, & *ultra* (ut inquit ille emunctæ naris homo, *Inſtit. Orator. lib.* 1. c. 6. *Genevæ* 1641) *porrectas ſyllabas geminis vocalibus ſcripſerunt.* Quod cauſam noſtram, niſi me fallit augurium, extra omnem dubitationis aleam ponit. Sed

III. Ut rem penſiculatiùs expendam, *Romani* (qui Muſas, *Græcis* doctoribus ſuis longè ſeveriores coluerunt) *Tullii, Romuli* nepotum facilè diſertiſſimi, ætate, tantâ religione (ſi verbo licentia detur) quantitatem & pronunciationem obſervabant rectam, ut

si *in his* (Scil. numeris vel modis) *paulò offensum* (*Ciceronis* verbis *de Oratore, lib. 3. num. 50. Lugduni Batavorum* 1692, utor) *ut aut contractione brevius fieret, aut productione longius, theatra tota reclamabant.* Et si vocales supradictæ, ævo *Augustæo*, quando literæ Latinæ in summo fastigio essent, quando Romani tersissimo utebantur sermone, quando eorum lingua perfectionis quasi punctum verticale attigerat; ævo inquam, quod seculis mediis & novissimis quasi jura præscripsit, & in quo castra metari & nobis ab omni adversariorum impetu esse securis liceat; si hoc (inquam) ævo, illud *Tullii* immediatè sequenti, tam longo sono efferebantur quàm σύγχρονοι (nè dicam, novatores) illas proferunt, Poetæ tum easdem nunquam correptas usurpârunt. — Et, si plurimis ad hanc sententiam confirmandam authoribus uterer, disceptatio hæc prorsus in volumen excresceret, neque nobis operæ pretium esset. At,

IV. Ne

IV. Ne principium petere viderer, hoc paulò fusiùs comprobabo. Exempli gratiâ, Vocalis *(u)* quam Recentes ut *(uu* vel *ou)* pronunciare solent, proferebatur, *Augusto* imperante, veluti *(u)* apud *Græcos*, si *Verrii Flacci* à *Vellio Longo* laudati, testimonio ullam fidem habeamus: Cujus verba sic se habent. *Verrio Flacco videtur eandem esse apud nos (u) literam quæ apud Græcos (u).* Namque his *exemplis argumentatur: quod illi dicunt* κύμινον, *nos* cuminum; *quam* κυπάρισσον, *nos cupressum, &c.*

Verrius Flaccus apud Vel. Longum de Orthographiâ col. 2215, *apud Grammaticæ linguæ auctores antiquos Hanoviæ* 1605. Quæ vocabula ab authore nostro citata, κύμινον, *cuminum*, κυπάρισσος, *cupressus*, primas syllabas cùm apud *Græcos* Poëtas, tum apud *Latinos* correptas habent; quæ secundùm Recentiorum usum, haud fieri potuerunt, si vocalis *(u)* ut *(uu)* vel *(ou)* esset proferenda. Quod, ut testimoniis confirmare possim, Poetas cùm antiquos, tum probatissimos *Græ-*

cos

cos teſtes appellabo. Scil. κυπάρισσος, *Homer. Odyſſ.* ε. ν. 64.

Κλήθρη τ' αἴγειρός τε καὶ εὐώδης κυπάρισσος.

& *Nicander Theriac.* ν. 590. Κύμινον, *Nicander Theriac.* ν. 715.

Δεσχμάων πισύρων μίσγων βάρος, ἐν δὲ κυμίνῳ.

Neçnon *Latinos*, *Auguſti* ætate florentes: nempe, *cupreſſus*, *Virgil. Eclog.* 1. ν. 26.

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

cuminum, *Horat. Epiſtol. lib.* 1. ν. 18.

Pallerem caſu, biberent exangue cuminum.

Quæ prolatio *Græcæ* vocalis *(υ) Latinæ (u)* conſona, à nullis *Græcis* recentioribus, quarum videndi mihi copia contigit, *Grammaticis*, comprobatur:

batur: unam tamen, & illam inſtar omnium, excipio, *Richardi Busbeii* D. D. RegiæScholæ *Weſtmonaſterienſis* Archididaſcali doctiſſimi juxta atque clariſſimi. Et ut hunc *Verrium Flaccum* ſuprà laudatum ſub *Auguſti* auſpiciis floruiſſe cognoſcas, *Suetonius* (de *illuſtribus Grammaticis cap.* 17. *Amſterodami* 1671.) teſtis omni Exceptione major, te monitum habebit: Qui imperatoris illius celeberrimi nepotes in palatio & imperatoris ſumptu *Flaccum* docuiſſe perhibet. Et inde *Flaccus* idem pronunciationis, ævo *Auguſtæo* & in aulâ, quoad literam *(u)* uſurpatæ teſtis eſt maximè idoneus——Sed, ut plura in rem noſtram adducam exempla. Quid,

V. De hoc verſu *Horatiano Satyr. lib.* 1. *Sat.* 1. ℣. 32.

Aiunt, cùm ſibi ſint congeſta cibaria:
Sicut,

judicabis? ubi ſi *(ai)* in *aiunt* non *Synæreſi* ſit efferenda, quid de eodem verſu fiet? Nam ſi *(ai)* ut *(æ)* diph-

thongum pronunciares, quis eâdem diphthongo usus erit? Idem etiam dicatur de Versuum subsequentium metris: Scil. *Horat. Satyr. lib.* 1. *Satyr.* 9. ℣. 68.

Aiebas mecum: memini bene; Sed meliori.

& Ibid. (Scil. *Satyr.* 9.) ℣. 12.

Felicem aiebas tacitus cùm quidlibet ille.

Si enim in his *(ai)* non fit Synæresis & efferatur ut nos *(i)* proferamus, tum *(e)* corripienda esset, quæ conjugationis analogiæ & Verbi incremento, hoc in tempore semper longo, prorsus refragabitur. Et, si *(ai)* in hoc verbo diphthongus habeatur, qualis erit in hoc carmine, *Horat. Satyr. lib.* 1. *Satyr.* 1. ℣. 5.

Miles ait, multo jam fractus membra labore!

Si diphthongum vocas, tunc *(ei)* in *miles* produceretur, quod alibi brevi ſono effertur; &, ſi hoc inficiaberis, verſuum ſuprà laudatorum metris vim inferes, & *(ai)* ut *(i)* longam reddes, quâ ratione quantitati unius Vocalis ante alteram uſitatæ adverſaberis.—— Quinetiam, duos alios verſus è *Virgilio* ad eandem cauſam ſuſtinendam adjungam. Scil. *Æn. lib.* 1. ℣. 301.

Hæc ait, & Majâ genitum demittit ab alto.

& Ibid. ℣. 468.

Sic ait, atque animum picturâ paſcit inani.

Ubi ſi *(ai)* in hiſce verbis ſit diphthongus, tum ſemper producenda eſſet, niſi vocali in vocibus compoſitis ſequenti, & inde noſtram pronunciationem *(i)* ſub *Auguſtæ* ætatis tutelam & patrocinium perducit: Sin minùs, tum *(a)* in *aiebam*, & *aiunt* eſt corripienda, quæ horum verſuum

menſuræ abundè repugnabit.——Adde quod,

VI. Hi verſus occurrunt apud *Ovid. Metamorphoſ. lib.* 10. ℣. 215, 216.

Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit, & ai ai
Flos habet inſcriptum,

Quæ interjectiones *(ai, ai)* haud integrum carmen Hexametrum efficient, niſi, ut nos *Angli* literam *(i)* pronunciamus, efferebantur. Nam, ſi has, ut nos diphthongum, proferebant, Poetæ, juvenis jam morituri, queſtum deſcribentis, vel potiùs graphicè depingentis, propoſito haud reſponderit; quamvis lepidus ille vates (Poetæ enim hujuſcemodi proprii & maximè idonei ſunt judices) binos alibi verſus habet, qui in rem noſtram tendunt & eandem confirmare videntur, dum priorum carminum ſenſum ſatis explicant: nempe *Metamorphoſ. lib.* 13. ℣. 397, 398.

Litera communis mediis puerôque, virôque,
Inſcripta

Inſcripta eſt foliis: hæc nominis, illa querelæ.

illo *Ajacis* nomen, hoc *Hyacinthi* querimoniam referente. Et ut hos omnes verſus, ſub *Auguſti* imperio exaratos fuiſſe innoteſcat, habemus eundem vatem (*Ovidium* Scil. *Triſt. lib.* 1. *Eleg.* 1. *V.* 117, 118. libros *Metamorphoſeων* quaſi indigitantem, quem tamen *Triſtium* ſuorum ſecundum librum, eundem *Auguſto* inſcripſiſſe, ſatis conſtat.——

VII. Et, quod ſuperius toties affirmaveram, ratum habeam, nempe quod ſi quatuor vocales ſæpiùs memoratæ antiquitus pronunciabantur, ut Recentes proferre ſolent, tum ſemper numeris Poeticis legerentur porrectæ, quod ut contrà factum, unicum verſum è *Virgilio* proferam. Qui, ut *Fabius* nobis indicat (*Inſtitut. Orator. lib.* 1. *c.* 7.) *amantiſſimus vetuſtatis fuit*; & cujus autographum, *Fabii* tempore extitiſſe ipſe innuit. (*Id. ibid. lib.* 1. *c.* 7.) E *Virgilio* (inquam) hunc laudabo

dabo versum, *Georgic. lib.* 3. *V.* 389.

Rejice, nè maculis infuscet vulnera pullis.

Quo carmine (*i*) vocalis in *rejice* (*a* & *u*) in *maculis* & (*e*) in *vulnera* corripiuntur. Quas sanè ille Poeta maximus, qui ævi *Augusti* legitimum sonum (si quis alius) calluit, haud breviaverit, si earundem tunc temporis pronunciatio Recentiorum prolationi convenisset. Quocirca à testimoniis suprà hîc illatis in *Anglicanæ* pronunciationis defensionem, abunde dictum arbitror; quippe quæ sermonis *Latini* ævo limatissimo maximè consentanea: Et, si ab aliis gentibus *Europæis* dissideat, minùs molestè feramus, cùm veritati (si quid justitiæ) & non multitudini cedere, nostrum est. Nec verò necesse est, ut adjiciam, *Virgilium* & *Horatium*, *Augusto* regnante mortem oppetiisse: & licèt *Ovidius* his omnibus superstes fuerit; attamen ea carmina, quæ suprà laudavi, sub imperatore eodem composita fuêre. Inde consectarium

tarium est, omnes authoritates poeticas à me allegatas, fuisse conscriptas in eâdem ætate, quâ tum res Romana tum lingua vigebat. At quot modis, quibúsve gradibus, ista ab *Augustæ* ætate diversa seculis sequioribus, irrepsit & inolevit pronunciandi consuetudo, dicere, non est hujus loci. Denique,

VIII. Si hæc disquisitio in linguam *Græcam* prodiret, ulus noster, ni fallor, facilem reportaret victoriam. Quippe,

1. Si (η) efferatur ut (*e*) longum (ι) ut (*e*) breve, cui usui erit (*ι*) si aliud esset (*e*)? Hoc enim pacto tria (*e*) essent in *Græco* sermone, qui tantùm duobus (*o*) utuntur; scilicet (*o*) vel brevi & (ω) i. e. (*o*) longo. Et, si mihi objiciatur (αι) diphthongum vice (*ι*) fungi posse, & hoc pro confesso sumatur, parùm Recentioribus proderit, cùm (*αι*) tantùm pleniori quàm (*ι*) simplex sono gaudebit, & aquâ illis semper hærebit.

2. Si Exterorum coævorum recens pronunciatio vera & recta esset, cur

a, *i*, *u*; ut ancipites, i. e. nunc longas, nunc breves usurpabant veteres Poetæ *Graii*, ut Vocales Latinæ (* teste Diomede Grammatico & universo ferè Vatum *Latiorum* choro) plerumque sunt, cùm earum latior & plenior prolatio eas longas efficit? Qui communis *Graiorum* Poetarum (saltem veterum) nunc longas, nunc breves statuentium, prout numeris suis quadraret, usus omnino adversatur. Ut rem verbo perstringam, ex his & pluribus id genus, quæ subjicerentur, argumentis, & quæ subjungere supervacaneum esset, nos *Angli* in prædictarum Vocalium pronunciatione veterum *Græcorum* usu, tanquam in asylo, tuti esse videmur; quare manum de tabulâ: Sed hoc nihil obstat, quo minùs credas, me esse

Tui studiosissimum,

J. B.

---

* *Latinæ Vocales omnes & corripi & produci possunt.* Diomed. de libra *lib.* 2 *col.* 416. *apud autores antiquos Grammaticæ Latinæ*, Hanoviæ 1605.

APPENDIX
Vindicias Anglicanæ
Pronunciationis antiquæ.

Paulò & (postea) imperio *Romano* excedere, & totum terrarum orbem habitabilem, *Augusto* imperante, circumspicere licuisset; vix aliquid, hâc peregrinatione, quo minùs nostra stabiliatur pronunciatio, facilè inveneri-mus.

In *Asiam* iter tendentes [a] *Orientales omnes consonas, habuisse*, testis locuples est doctissimus *Hottingerus*.

---

[a] *Joh. Hen. Hottinger.* Grammatica harmonica quatuor linguarum, *Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ*: Heidelbergæ, 1659. 8.

Inter quos, non *Hebræi*, in Vocalium pronunciatione, litem movere, nec hâc in re, Recentioribus subsidium ferre potuissent: si imprimis illas literas aliis coævas, & quæ nunc quiescentes appellantur, & quæ tot vocalibus, quot nunc sunt, vix inservire possent, excipimus; (pace doctiorum) haud, ante *Talmud* à *Masorethis Tiberiensibus*, à quibus puncta Vocalium, nunc in usu, excogitata, si [b] *Ludovico Cappello* & [c] *B. Waltono* D. D. nostrati, circiter A.D. 500. confectum, sed non ante A. D. 700. si [d] *Joanni Morino* credamus, alias habebimus. Nec *Samaritani* [e] (seu potiùs nationum [f] multarum colluvies) nec *Chaldæi*, quorum characteribus usi

---

[b] *Lud. Cappell.* arcanum punctationis revelatum, &c. *Amstelodami*, 1689.

[c] *B. Walton*, D. D. Bibl. Polyglott. Proleg. 3. §. 38. *Londini*, 1657.

[d] *Joan. Morin.* de *Hebræi Græcique* textûs sinceritate Exercitat. 12. lib. 2. cap. 7. num. 6. *Parisiis*, 1669.

[e] *Vocales Samarit. in MS. nulla. Edmundi Castelli* Lexicon heptaglotton, cap. 2. *Londini*, 1669.

[f] 2 *Reg.* c. xvii. ℣. 24.

sunt

sunt *Judæi*, ab [h] *Esdrâ* post captivitatem inducti. Nec [h] *Syri*, nec *Arabes*, quibus nullæ literæ ante (*Islamiſmi*, ut vocant, seu) *Mahommedismi* ortum, (qui in nervum erupit circiter A.D. 622.) si [i] Cl. *Pocockium* noſtrum vel (quatuor, ultra eum, retrò seculis) *Gregorium* [k] *Abul Faraijum* auscultare libeat: Cùm primùm *Arabicæ* scripturæ repertorem [l] *Moramerum*, *Morræ* filium & non multis ante *Mahommedem* annis, fuisse, non ambigitur. *Et si antiquiores fuerint Arabum literæ, consonantes viginti octo* [m], *tres tantùm habuere vocales* [n]; scil. *Phatha*, *Dhamma*, *Keſrè*, quæ novorum usui non satis inservirent.

---

[g] *Hieronym.* Præfat. 106. in lib. *Regum. Lutet. Parisiorum*, 1624.

[h] Vide*s*. *Ed. Caſtelli* Lexicon heptaglotton, cap. 2.

[i] *Ed. Potock.* Not. in *Gregor. Abul Faraijum*, &c. p. 156, 157, 158. *Oxonii*, 1656.

[k] *Gregor. Abul Faraijus*, de *Arabum* moribus ante *Mahommedem*, &c. *Oxonii*, 1650.

[l] *Samuel. Clerici* Oratio in auditorio *Arabico*, &c. *Oxonii* 1661.

[m] *Thomæ Erpenii* Grammaticæ Arabicæ, lib. 1. c. 1 *Lugduni Batavorum*, 1656.

[n] Ibid. cap. 3.

Nec *Persæ*, si ab *Arabibus* literas acceptas referunt, adjectione quatuor novarum. At quales *Persis*, ævo *Augustæo*, fuisse literas, non satis compertum; quamvis in eorum linguam S. Scripturas versas fuisse, quarto (post Christum seculo, è D. J. *Chrysostomo*[o]; & in quinto è *Theodoreto*[p] abunde pateret. Sed hos characteres oblivione delebant (ut ferunt) *Arabes*, *Persarum* victores, quatuor (ut dixi) exceptis à *Persis* excogitatis.

Tot eruditorum bonâ veniâ, hoc non verisimile videtur, (1.) Cùm *Persas* proprias tenuisse literas in quarto (ut suprà) & quinti seculi medio, & easdem has omnes penitùs amisisse, & tantillo spatio novas ab aliis recepisse, vix satis mirari possumus. Quippe quibus aliarum adjiciendi inventio, iisdem antiquarum retinendi potestas. (2.) Cùm in *Perside* imperii *Arabici* sedes nunquam fixa fuit. Saltem in

---

[o] D. *Chrysostom.* Homil. 1. in cap. 1. Evangel. *Joannis. Parisiis*, 1636.

[p] *Theodoret.* de curandis *Græcorum* affectibus, serm. 5. *Lutet. Paris.* 1642.

octavo

octavo seculo, & diu post devictos ab *Arabibus Persas*, & post totam ferè *Hispaniam ab eisdem* subactam, in *Arabiâ Felici* principum suorum sedem positam fuisse, testis omni exceptione major est historicus *Arabicus*[q], qui in eo bello contra *Hispanos*[r] militavit. (3.) Cùm, nec *Syrorum*, nec *Ægyptiorum*, quorum regionibus, post divisum imperium *Saracenicum*, *Arabibus* diu summa potestas, literas periisse, liquet. Sed hæc è diverticulo, nunc in viam redeo.

Nec *Armeni*, novæ pronunciationi adjumento essent, ante quartum à Beatæ Virginis partu seculum, quo vel à Divo *Chrysostomo*, [s] vel à quodam eremitâ (ut volunt *Armeni*) *Mestop*, literæ fuerunt excogitatæ. Ex *Asiâ* & *Europâ* (quasi animi impetu pulsi &)

[q] *Abulcacim Tariff Abentariq's* Life of *Almanzor*, with the History of the Conquest of *Spain* by the *Moors*, translated out of *Arabic* into *English*, *London* 1693. ch. 23. p. 170. ch. 5. p. 36.

[r] Id. in Præfat. Historiæ suæ.

[s] *Disquisitiones Critica de variis per diversa loca & tempora Bibliorum Editionibus*, &c. cap 21. *Londini*, 1684.

in

in *Africum* moventes, *Coptos* vel *Ægyptios* coævorum pronunciationi, regnante *Augusto*, opem ferentes, haud inveniemus. Quippe quibus vel characteres hieroglyphici, controversiæ huic dirimendæ haud satis idonei, vel literæ à Græcis, paucarum adjectione *Ptolemæorum* tempore mutuò acceptæ, similis plerumque, si non idem sonus.

Nec *Æthiopes*, vel [t] *Augusto* regnante, vel non diu ante imperium suum, ullis nisi characteribus hieroglyphicis, usi fuerunt.

Nec *Mauri*, sive *Pœni*, si ævo *Augusteo* tales scripserunt literas, qualibus *Hanno Pœnus* [v] apud *Plautum* circiter 160 annos ante *Augustum*, vel qualibus *Phœnices* sive *Chananæi*, *Josuam Naue* filium fugientes in monumento exaratis, & à *Procopio* [w] *Cæsariensi*, quinque post *Augusti* excessum seculis commemoratur, uti videntur: Cùm

---

[t] *Diodor. Sicul.* Bibl. Histor. lib. 3. *Hanoviæ*, 1604. Procem. Bibl. Histor. comparat. cum ejusdem Eclog. 2. lib. 37.

[v] *Plautus* in *Pœnulo*, act. 5. scen. 1, & 2.

[w] *Procopii Cæsariensis Historia Vandalica*, lib. 2. Expedit. *Hugon. Grotii*. *Amstelodami* 1655.

post

post tot annos suarum literarum soni, quoad quantitatem, etiamnum sub judice lis est. Et si apud *Panos* literæ essent (x *Hebræis* consonæ) quæ quiescentes nunc vocantur, præ numero earum parvo, fuêre vocales, nullum pronunciationi nostræ scrupulum injicere possent.

Ad *Europam*, per *Asiam* redeuntes, si visamus *Indos* quasi sub ipso sole habitantes, & si à *Josia Ricraft* nostrate *Indico* alphabeto edito fidem habeamus, y isti non duplices habuere vocales, & igitur nec novorum usui esse possunt.

Si adeamus *Senas*, qui semel (æquè ac *Indi*) *Augusto* z legatos misisse feruntur, & eisdem tot characteribus, quot nunc successores sui *Senses*, uti memorantur, fidem adhibeamus; non ab Imperatore illo, neque suis propter earum

---

x Verbum *Punica* linguæ consonum, sicut alia *Hebræa* permulta, & pene omnia. D. *Augustin.* contra *Petilian.* lib. 2. c. 104. col. 159. *Basileæ*, 1569.

y *Josiah Ricraft*'s peculiar Characters of the Oriental Languages in 4to.

z Luc. *Flor.* rerum *Roman.* lib. 4. c. 12. *Cantabrigiæ*, 1680.

multi-

multitudinem & difficultatem (vel) interpretum ope, intelligi potuerunt. Cùm characteres supra vicies & quatuor mille, si *Compteum*, & si *Martinium*[b] audiamus, supra sexagies mille figura & significatione diversos, *Sinenses* habere, memoriæ proditum est.

In *Europam* ingressi quàm sero *Thraces* usum literarum accepisse necdum *Æliani* (scilicet, *Trajani* Imperatoris) ætate, longè post Augusti obitum, refert vir clarissimus *Gerardus Vossius* ille Aristarchus, sed flaccido tibicine statuminare videtur. Quippe cum *Æliani* testimonio haud satis comprobari possit, dum *Thracas* veteres, non ejusdem regionis sequioris ævi incolas, literis caruisse, ex *Andronione* scriptis tradit.

---

[a] *Le Compte's* Memoirs and Observations made upon a late Journey through the Empire of *China*, translated into *English*, Letter 7. *London*, 1697.

[b] *Martin.* Prælat. Histor. *Sinicæ*, p. 7. *Amstelodami*, 1662.

[c] *Gerard. Vossius* de Arte Grammaticâ, l. 1. c. 9. *Amstelodami*, 1662.

[d] *Ælianus* variæ Historiæ, lib. 3. c. 6. Apud *Joannem Ternasium*, 1610.

Nec

Nec *Dalmatæ*, ante D. *Hieronymi*[e] ævum, (quartum ſcilicet poſt Chriſtum) in quo ab eodem excogitatarum literarum uſum acceperunt: Nec *Hunni*[f] *Juſtiniano* Imperatore: Nec *Slavi* ſive *Venedi* ante ſeculum nonum, quo à *Methodio*[g] Philoſopho, *Ludovico* II. (*Lotharii* ſucceſſore) imperante, qui A.D. 856. regnare incepit, fuerunt inventæ; ſi *Runæ*, quando à *Pompeio* Magno ex *Aſiâ* in *Europam*, circiter 60 annos ante Chriſtum natum, fugere cogebantur[h], non ut feruntur, fuêre literarum[i] rudes.

Othino, tunc temporis, cum duce tum literarum inventore, (1.) cur, ab eâdem propagine ſati *Suiones*[k] (quan-

---

[e] *Angelus Roccha* in Bibliothecâ Vaticanâ, p. 161. in *Edw. Brerewood*'s touching the Diverſities of Languages and Religions, c. 8. *London*, 1635.

[f] *Procop. Cæſar.* Hiſtor. *Gothic.* lib. 4.

[g] *Aventin.* Annal. *Boiorum*, lib. 4. *Francofurti*, 1627.

[h] *Samuel Puffendorf*'s Introduction to the Hiſtory of the preſent Kingdoms and States of *Europe*, chap. 13. *London.* 1702.

[i] *Thomæ Bartholini*, &c. *Danicarum* Antiquitatum, lib. 3. c. 2. *Hafniæ*, 1689.

[k] *Cornel. Tacit.* de ſitu, moribus, &c. *Germanorum*, c. 44. *Lugduni Batav.* 1687.

tum creditur) *Trajano*[l] bis Conſule (& Imperatore) & diu poſt Auguſti mortem, literis carebant? Et (2.) ſi *Runicorum* characterum tanta fuit antiquitas, quorſum novos edidit *Ulphilas*, *Gothorum*[m] (quorum lingua communis gentium Septentrionalium[n] fuiſſe creditur) Epiſcopus, niſi characterum gentilium memoriam prorſus aboleret? Nec *Germanis* minor infelicitas, dum iis (nî fallat me authoritas mea) in octavo ſeculo, *Carolus* Magnus, primus *Germanicus* Imperator[o], patrii (i. e. *Germanici*) ſermonis Grammaticam inchoavit. Nec ante *Frederici*[p] Secundi fata (ſc. A. D. 1246.) *Germania* ſuum ſermonem depingere *Latinis* literis didicit; & hinc ante iſtud tempus pronunciationis Latinæ non inte-

---

l Id. ibid. c. 37.

m *Socrat.* Scholaſt. Hiſtor. Eccleſ. lib. 6. c. 37. *Moguntiæ*, 1677.

n *Arnerimi Jonæ* Crymagææ ſive rerum *Iſlandicarum*, lib. 1. c. 3. *Hamburgi*, 1610.

o *Abbatis Uſpergenſis* Chronicon. fol. 180. *Argentorati*, 1537.

p *Jo. Aventini* Annal. *Boiorum*, lib. 4.

gri

gri essent judices. Nec *Boiemi*[q], nec *Longobardi*[r], bis Consule *Trajano*, literarum ignari. Nec *Itali*, nec *Galli*, nec *Hispani* (quinto post Beatæ Virginis partum ævo) imperio *Romano*, senio ingravescente, pronunciationi nostræ alicui impedimento essent. Cùm certum est, linguam, quâ vel *Galli* & *Hispani*, vel *Itali* utuntur (si *Nicolai Machiavelli*[s], Secretarii *Florentini*, verbis uti liceat) *factam fuisse ex antiquâ illâ Romanâ & eâ quâ Barbari isti utebantur.* Adde quòd *Chilpericus* Rex Francorum, *Chlodovei*, Regis gentis illius Christiani primi nepos, inter alias literas (*uu*) induxit[t]: *Quo* sono, vel eidem simili, nunc *Franci* gaudere videntur. *Qui* nostræ pronunciationis antiquitatem nihil quicquam redolet. Quinetiam *Francorum*

---

q *Cornel. Tacit.* de situ, moribus, &c. *Germanorum*, c. 28.

r Id. ibid. c. 18.

s *Nicolai Florentini* Historiæ *Florentinæ*, lib. 1. p. 8. *Argentorati*, 1610.

t *Gregorii Turonici* Histor. lib. 5. cap. 44. *Parisiis* 1561.

gentem, cujus linguæ usus tantùm, seculis novissimis, invaluit, vix ab aliis, ævo *Augustæo*, fuisse disjunctam & distictam, multo minùs aliis pronunciandi legem dantem, Historico antiquissimo, *Sulpitii Alexandri* Historiâ freto, confirmari possit. Cùm idem author, *Francos* in *Germaniâ*, *Maximo* Imperatore *Romano* [u] intra *Aquileiam* (tertio post Christum ævo) residente, primùm proripuisse, refert.

Nec *Hiberni* recenti pronunciandi modo tibicini esse possent: Quippe, qui antequam *Divus* [w] *Patricius*, unà cum religione *Christianâ* (quinto fidei nostræ seculo) literarum usum intulit, earundem nullas adhibuere.

Ad natale solum tandem veniamus, & ibi *Britannos*, antecessores nostros, recenti vocalium pronunciationi faventes haud comperiemus. Cùm hi ante *Flav. Vespasiani* tempora, & *Julii*

---

[u] Id. ibid. lib. 2. cap. 9.

[w] P. W. (i. e. *P. Walshe*) Prospect of the State of *Ireland*, &c, to the Year of *Christ* 1652, Sect. 2. n. 13. p. 54.

Agri-

Agricolæ præfecturam, [x] *Romanam linguam abnuebant*; de cujus ſono antiquo tantùm diſceptatum; ejuſdem pronunciandi haud idonei erant judices. Nec toto ferè terrarum orbe habitabili perluſtrato, inter gentes, aliquid contra morem conſuetudinemque pronunciandi noſtram, vel quod Coævorum novo ſono aptè quadrabit, reperiamus. Cùm, *Auguſto* longè latéque dominante, vel his literarum elementa omnino defuerunt, vel [y] illis gutturali prolatione gaudentibus *raræ vocales*, niſi quales noſtræ haud quaquam litem inducere poſſent.

Si mihi fas eſſet, ſubjungam, quod *Euſtathius* Archiepiſcopus *Theſſalonicenſis* (qui in duodecimo poſt *Chriſtum* ſeculo, & ultra mille poſt *Auguſti* obitum, impia [z] *Manuelis Comneni*, Im-

---

[x] *Cornel. Tacit.* in vitâ *Agricolæ*, c. 21. *Lugduni Batavorum*, 1687.

[y] S. *Hieronym.* Epiſt. 136. ad *Evagrium*, fol. 706. *Vocalibus in medio literis perrarò utuntur Hebræi*, &c. *Caſpar Waſeri* Grammaticæ *Syræ*, *Leidæ* 1619. l. 1. p. 11. *Syri initio punctis vocalibus caruerunt.* Ibid. p. 12. *Carent Syri differentiâ etiam vocalium longarùm ac brevium, quoad figuras.*

[z] *Niceta Choniatæ* imperii *Græci* hiſtoria, lib. 7. ap. hæredes *Euſtathii Vignon.* 1593. p. 238.

peratoris

peratoris *Græci*, dogmata, ſtrenuè redarguebat) meminit, quoſdam ætate ſuâ, Βυζάντιον per (ι) ſcripſiſſe; quam ſcriptionem [a] ille ſatis improbavit. Quod, ſi tunc temporis *Græci* (υ) ut nunc Recentes (ι, vel ει) & (ι), ut (ι) vel (η) proferebant, de iſtius primæ ſyllabæ in Βυζάντιον ſono, haud eſſet diſputandum. Hinc ſatis eſt argumenti, nihil fuiſſe talis uſus apud *Græcos*, *Euſtathio* vivente, qualis nunc dierum obtinuit.

Cùm verò cauſæ hujuſce Hiſtoriam haud molitur appendicula mea, omnia ad umbilicum perducam, poſtquam ſubjeci, quod in S. Scripturarum verſione ſub auſpiciis Sereniſſimi *Jacobi* I. Regis inchoatâ & perfectâ [b], non, uno loco

---

[a] *Euſtathius Theſſalonicenſis* in *Dionyſii περιήγησιν* ℣. 804. p. 106. Edit. *Hen. Stephani*, 1577. ἰσέον ὃ ὅτι οὐκ ἔστι τὸ Βυζάντιον, δοκεῖ τοῖς παλαιοῖς ἀφ' οὗ ἐγένετο.

[b] The Bible in *Engliſh*, tranſlated by K. *James* I's Order, printed at *London* 1630. *Gen.* ch. 1. ℣. 14. *Let there bee Lights*, &c. ℣. 15. *And let them bee for Lights*, &c. Ch. 3. ℣. 2. *Wee*. ℣. 3. *Tee*. S. *Mat.* ch. 3. ℣. 7. *Hee*. ℣. 9. *Wee*. ℣. 11. *Hee*, &c. ſæpe alibi.

(inter

(inter alia) habemus (*e*) geminam, ubi Recentes ſimplicem uſurpant. Quod, ſi majores noſtri eâdem prolatione, quâ nunc Coævi, utebantur, planè ſupervacaneum eſſet.

Denique, ſi non me eorum reverentia prohiberet, Juriſconſultos noſtros patriæ legum, (abſit invidia verbo) per *Europam* peritiſſimos & gentis ornamenta, appellarem: Qui iis legibus *Gallicis*, quos Anteceſſoribus noſtris præſcripſerat *Guilielmus* ſui nominis Primus, ſexcentis retrò annis, in vocalium noſtrarum pronunciatione ſemper eodem ſono cum eo, cujus cauſam, pro modulo meo, egi, uti dicuntur. Illorum igitur uſui antiquiſſimo lætus ſubmittam, & eorum judicio limatiſſimo, ſine adulationis umbrâ, totus acquieſcam.

I, fuge; ſed poteras tutior eſſe domi.
Martial. l. 1. Epig. 3. ℣. 12.

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ!